



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quâ theoreticè, quâ practicè
proponuntur

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Provisio 5. Per Imitationem & Supergressionem Electorum Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

contenderis, si denique per nulla residui tibi temporis momenta ad gratias actuales, juxta & habitales, temet amplius ampliusque disponere earumque capaciorum te reddere juxta earum mensuram obsequio Divino æternæque vitæ congruis operationibus te fatigare, te saginare, te explere in gloriam maximam Dei, in mercedem meritorum Christi superabundantissimam destiteris.

PROVISIO V.

Per Imitationem & Supergressionem Electorum DEI.

CONsidera vocatum te esse à Deo ad æmulationem, imitationem supergressionemque Sanctorum Dei in obsequio ejus. Et Sanctorum quidem si non omnium, plurimorum certe, tam ex Angelorum, quam ex hominum Ordinibus. Id hoc ita esse, potes ex eo convinci; quia Dominus Deus familiare habet, nos ad amorem, cultum obsequiumque provocare, propositis exemplis Sanctorum suorum, quod non ob aliud facit, nisi ut nos eorum conversationem intuentes, imitemur & æmulemur fidem, atque fidelitatem ipsorum cum Deo. Hoc sensu Dominus dicit per Prophetam filiis Israel: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum: & ad Saram, quæ peperit vos.* Non solum autem Deus homines vocat, ut per imitationem Sanctorum ejus eidem dignè famulentur, securamque viam & Sanctorum vestigiis tritam incedant, verum etiam ut eosdem in via Dei supergrediantur, superareque conitantur, hoc enim nisi fieri Deus vellet, ac

Isa. 51. 1.

nisi fieri posset: defacto que fieret: nequaquam nobis proponeret in Evangelio suo negotiantes suos servos, lucrantes alios quidem decem mnas. alios autem quinque, est singulas tantum mnas à Domino ad negotiandum accepissent. Non etiam profiteretur de seipso Paulus. *Plus omnibus laboravi & iterum, Ministri Christi sunt (ut minus Sapiens dico) plus ego.* Et rursum. *1. Cor. 15. 10.*
Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, tamen nihil sum. Ad hoc etiam facit, *2. Cor. 11. 23.*
quòd sicut differt stella à stella in claritate, & sic resurrectio mortuorum Sanctorum in sanctitate. *2. Cor. 12. 11.*
1. Cor. 15. 41.

Adde quod non aliam ob causam Dominus voluit Sanctorum cætus, in Religiosis præsertim Ordinibus, in unum institutum, professionem, domicilium cogi, nisi ut æmulatione imitationeque mutuâ sese invicem provocantes, unusque alterum supergredi in obsequii Divini ardore & cursu contendentes, serviant Deo alius quidem sic, alius autem sic, juxta mensuram gratiæ sibi cælitus indultæ, quæ non est una ac eadem, sed omninò diversa valdè: juxta quam servi Dei ascensiones disponunt in corde suo, donec videant Deum in Sion, & multi consummati in brevi expleant tempora multa. Neque enim alligatum est Domini Verbum, neque virtus, neque gratia, sed dividit singulis prout vult: præcipitque ex terra sua bona, à se seminatâ, fructum trigesimum, sexagesimum, centesimum, secundum multiformem gratiam suam.

Age jam ô homo à Deo in terra Sanctorum posite & plantate, ad ordinem cætumque Sanctorum de terra Babylonis translate. computa

B 4

annos

annos vocationis conversionisque tuæ, numerus
 dies conversationis tuæ cum Dei Sanctis, & his
 qui in terra sunt ejus. Obi omnes Sanctorum
 ordines, omnesque etiam in particulari Sanctos
 in cælo, equem unum ex his reperies, cuius
 imitator sedulus exstiteris; quem in sanctitate &
 meritis æmulatus, quem prætergressus sis? Quem
 Apostolum in zelo & charitate æquasti, quem Pa-
 triarcham in spe, quem Prophetam in spe timore-
 que Dei, quem Martyrem in fortitudine & con-
 stantia, quem confessorem in devotione, oratio-
 ne, mortificatione, vigiliis, victoriâ de dæmoni-
 bus, vigore & assiduitate pœnitentiæ, quem
 aut quam Virginem castitate, continentiaque
 vel affectus vel prætergressus es! O quan-
 tum chaos inter te & Sanctorum quemlibet!
 Revoca etiam in memoriam viventes homines
 perfectos atque Sanctos, quos nosti quibus
 cum vivis, aut vixisti, & confer tuas virtutes
 cum illorum virtutibus, labores cum labo-
 ribus, austeritatem in seipsum illorum, cum
 tuâ: nosti illius personæ ad omnes humilita-
 tem, illius mansuetudinem, illius simplicem &
 innocuum candorem, illius verborum parci-
 tatem & in loquendo cautelam cultumque silentii,
 illius in agendo fervorem, illius in minimis regu-
 lis observandis, in minimis perfectionibus con-
 sectandis, in minimis labeculis imperfectioni-
 busque evitandis & castigandis sedulitatem!
 Quàm ille punctualis in obedientia, quàm ille
 rebus creatis, affectu, & re ipsâ spoliatissimus!
 quàm ille ad omnia placita Divina & majorum
 suorum resignatus paratusque? ille verò quan-
 tus in fraternæ charitatis cura? quàm portat alle-

na onera? quàm supplet ab aliis prætermiffa?
 quàm irasci nescius & ulcisci? quàm lædit nemi-
 nem, quàm vincit in bono malum? quàm nulli
 invidet? quàm ex animo compatitur & sustinet
 sublevatque infirmos? Ille verò quàm in Ora-
 tionem & Devotionem profusus? quàm in oran-
 do, contemplando, cum Deo agendo infatiga-
 bilis simulque Majestatis Divinæ reverentiffi-
 mus? quàm in omnibus & subditus Deo, & in
 ejus Providentiam securiffimè projectus? Quàm
 sapè quamque multorum tu pœnitentium tuo-
 rum admiratus es virtutem, confususque es de
 tanta animi puritate, innocentia, diligentia, pla-
 cendi Deo curâ, inter licet negotia mundana,
 minimè tamen mundanas mentes? quoties ab
 eorum lumine ipse illuminatus? ab eorum quæ-
 sitis ipse instructus? ab eorum fervore ipse in-
 flammatus? ab eorum denique fervore ipse præ-
 tergressus & superatus es? Nonnè & hic magnum
 chaos inter te & istos, inter horum & tuas virtu-
 tes? inter horum & tuam perfectionem? Et ta-
 men tu per ætatem perque opinionem, Magister
 in Israel videbaris, & videris esse? Qui tibi pu-
 dor erit, putas in Judicii die, quando tuam igna-
 viam, tam multi multorum ferient oculi, dicen-
 tes. Ecce homo & opera ejus? En quàm erra-
 vimus, quàmque imposuimus tibi, putan-
 tibus summam in isto fuisse perfectionem, sum-
 mum perfectionis studium, summam cum Chri-
 sti virtutibus similitudinem, summam cum Deo
 unionem. Ecce autem ille, quàm in imis ser-
 psit, quanta pigritia tepuit? O medice, quare
 te non ipsum curasti? O Magister, qui alios do-
 cuisti, cur te ipsum non docuisti? Dux aliorum,

B 5

quare

quare ipse non pervenisti? inflammator aliorum, cur ipse tepore obtorpuisti? Quis tibi pudor? quæ labræ, quæ excusationes tunc suffragabuntur?

Ergo inveterate dierum tepidorum & ignavia consecratorum, vel nunc in effluentibus istis vitæ annis te respice, & saltem fac, ut eos assequare, quos longissimè præire atque post te relinquare & putabaris, & potuisti & debuisti, inter tanta, inter tot auxilia Divina, Sanctorum exempla, status tui media annorumque curricula. Quibus omnibus, si ad usque hæcenus, non ex æquo debitoque respondisti, in hoc quidem vitæ residuo, non tantum respondere, verum etiam præteritas jacturas compensare, sed etiam superare, toto animi conatu, elabora.

PROVISIO VI.

*Per Imitationem Pretiosissime Dei Matris
quàm perfectissimam.*

CONSIDERA vocationem quoque tuam & fuisse & adhuc esse, ut Pretiosissimam DEI tuamque Parentem quantum mortali fas esset, id est, quàm maximè & quàm perfectissimè imitareris. Sicut enim ad hoc Deus rerum conditor sapientissimus juxta ac providentissimus, solem in alto loco posuit, quem luminosissimum & in omnia inferiora beneficentissimum esse voluit, ut omnium in eum oculi intenderent, ex eo virtutes omnes haurirent, ita idem Dominus Gratiaë dator profusissimus, Pretiosissimam suam Matrem, sole hoc visibili longè illustriorem, quippè suæ perfectionis atque dignitatis & Majestatis sole
vesti-